

*Secundò, Quicumque perfectè, hoc est, sincerè & absque simulatione Deum diligunt, ij mortem corporalem non reformidant. Nam per hoc adimpletur charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicij, quòd qualis ille est, tales & nos sumus in hoc mundo. Metus non est in charitate: integra charitas foràs ejicit metum: quoniã metus cruciatum habet: qui autem metuit, non est integer in charitate: ait Johannes I. epist. 4. 17, 18. Si charitas erga Deum excludit metum judicij ultimi, multò magis metum mortis corporalis expellit. Jam verè fideles perfectè Deum diligunt, id est, ingenuè & sine fuce. Proinde mortem corporalem non exhorrescunt.*

*Tertiò, quicumque regeniti sunt in spem vitæ melioris virtute resurrectionis Jesu Christi ex mortuis, ij mortem corporalem non pertimescunt. Nam per spem expectare vitam æternam & mortem corporalem per quam ad vitam æternam penetrandū nobis est reformidare, inter se pugnant. Jam fideles sunt regeniti in spem vitæ melioris virtute resurrectionis Jesu Christi ex mortuis: ut dicitur I. Petr. I. v. 3, 4, 5. Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam per resurrectionē Jesu Christi ex mortuis, id est, ad hæreditatem quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, vobis in cælis servatã, Qui virtutis Dei præsidio custodimini per fidē, ad salutē paratã patefieri tēpore ultimo. Quapropter fideles mortem corporalem nō reformidant.*

*Quartò,*